

ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat.

2. Quantum natura studioque valeat memoria, vel Themistocles testis est, quem unum intra annum optime locutum esse Persice constat: vel Mithridates, cui notae fuerunt duae et viginti linguae earum, quibus imperabat, nationum: vel Crassus ille dives, qui quum Asiae praeesset, sic tenuit quinque Graeci sermonis differentias, ut jus cuique redderet eadem lingua, qua quisque postulasset: vel Cyrus denique, quem omnium militum tenuisse nomina traditum est. Quin etiam dicitur Theodectes protinus reddidisse semel auditos quamlibet multos versus.

Memoriam in Themistocle fuisse ferunt singularem, ita ut quaecunque audierat vel viderat, haerent in ea.—Itaque quum Simonides, aut quis alius, ei artem memoriae polliceretur, quae tum primum proferebatur: *Oblivionis, inquit, mallet: nam meminisse etiam, quae nolo; oblivisci non possum, quae volo.*

*Etiam oblivisci, quod scis, interdum expedit.*

Quum multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit: inter ea, quae retuli, memoria est res, ex omnibus partibus animi maxime delicata et fragilis, in quam primam senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret sed in miraculum usque procederet, non nego. Nam et duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebam: et ab his, qui ad audiendum praeceptorem nostrum convenerant, singulos versus a singulis datos, quum plures, quam ducenti, efficerentur, ab ultimo incipiens, usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quae acceperat. Nunc autem, et aetate quassata et longa desidia,

Ibid. — Cic. Acad. 4. 1. et Plin. 2. 32. — P. Syrus v. 112. — Seneca controv. lib. 1. prooem.